

JACOBUS DE VORAGINE, LEGENDA AUREA

DE SANCTO NICOLAO

Ed. Th Graesse, 22-23

Nicolaus dicitur a nicos, quod est victoria, et laos, quod est populus, id est Nicolaus, quasi victoria populi i. e. vitiorum quae et popularia et vilia sunt; vel victoria proprie, quia multos populos vita et doctrina docuit vitia et peccata vincere. Vel Nicolaus dicitur a nicos, quod est victoria et laus, quasi victoriosa laus; vel a nitor et laos, quod est populus, quasi nitor populi. Habuit enim in se ea, quae nitorem et munditiam faciunt. Nam secundum Ambrosium mundat sermo divinus, mundat vera confessio, mundat sancta cogitatio, mundat bona operatio. Ejus legendam doctores Argolici conscripserunt. Est autem Argos secundum Ysidorum civitas Graeciae, unde Argolici Graeci vocantur. Alibi quoque legitur, quod Methodius patriarcha eam Graece conscripsit, quam Johannes diaconus in latinum transtulit et plura addidit.

1. Nicolaus civis Paterae urbis ex divitibus et sanctis parentibus originem duxit. Pater ejus Epiphanes, mater vero Johanna dicta est. Quem cum primaevo juventutis suae flore parentes genuissent, deinceps caelibem vitam duxerunt. Hic prima die dum balnearetur, erectus stetit in pelvi. Insuper quarta et sexta feria tantum semel sugebat ubera. Factus autem juvenis aliorum devitans lascivias ecclesiarum potius terebat limina et quidquid ibi de sacra scriptura intelligere poterat, memoriter retinebat. Parentibus vero suis defunctis cogitare coepit, qualiter tantam divitiarum copiam non ad laudem humanam sed ad Dei gloriam dispensaret. Tunc quidam conterminus suus satis nobilis tres filias virgines ob inopiam prostituere cogitur, ut sic infami eorum commercio aleretur. Quod ubi sanctus comperit, scelus abhorruit et massam auri panno involutam in domum ejus per fenestram nocte clam jecit et clam recessit. Mane autem surgens homo massam auri reperit et Deo gratiam agens primogenitae nuptias celebravit. Non multo post tempore Dei famulus simile peregit opus, quod rursus ille reperiens et in laudes immensas prorumpens de caetero vigilare proposuit, ut sciret, quis esset, qui suae inopiae subvenisset. Post paucos etiam dies duplicatam auri massam in domum projecit, ad cujus sonitum ille excitatur et Nicolaum fugientem insequitur talique voce alloquitur: siste gradum teque aspectui ne subtrahas meo, sicque accurrens velocius Nicolaum hunc esse cognovit; mox humi prostratus osculari volebat pedes ejus, quod ille refutans ab eo exegit, ne eum quamdiu viveret, publicaret.